TYPOGRAPHO.

ILLVD Sacræ Paginæ laboriosum Concordantiarum opus quadringentis ab hinc fere annis excogitatum ab Eminentissimo Hugone Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali communi Orthodoxæ Reipublicæ, Catholicorumque Doctorum suffragio ita in vsum ab omnibus exceptum, vt vllius nec possit, nec debeat huiusmodi operis, & vtilitas, & authoritas disquisitione turbari, argumentis concuti, aut concussa labefactari. Experientia enim vniuersalium magistra altioribus speculis constituta infra se respicit, ne dicam, despicit theoriam. Si fidem adhibeas, quingentis cœnobitis in iuncto labore, multorum sedulitati datum, cui vnius vita satis esse non videretur. Accipe in numerato apud Authores * inuenies, vel historiam, vel figmentum. Nostri instituti non est vltra taxationis modum nundinari. Et quod mireris, eo ingenti (si credas) apparatu dimidiatum opus reliquisse complures existimant verbis, & nominibus Sacræ Scripturæ tantum dispositis: Doctorem verò Secouiensem Illustrissimum Ioannem Gonçalez de Contreras * aduerbia, cæterasque dictiones post ducentesimum fere annum vtili valde apud Concilium Basileæ occasione per motum in præsentem, quo nunc fruimur, modum posteritati transmisisse.

* Sixtus Senensis, in sua Biblioth. verb. Hugo Carēsis. Et lib. 3. cap. de syllabica exponendi ratione. S. Antoninus, in Chronica, part. 3. tit. 19. cap. 5. § 2. Belarmino, de Script. Eccles. ann. 1245. Posseuinus, tom. 1. appar. Sacr. litter. H. & V.

Genes. 34. 13.

* Vocatus Doctor Secouiensis ab Enea Syluio in Europa Illustrata, cap. 42. & in epistola quæ incipit venerabili Ioanni de Secouia. Onufrio Panuinio in Fœlici Anti Papa, pagin. 299. Didacus de Colmenares in Viris Illustribus Secouiensibus, cap. 1. & ex procemijs Petri Besse, Georgij Bulloco, Patris Zamora ad Concordantias Sacras, videre licet quot, quantosque viros fatigatos complemētum dedisse.

Ecquis non videt commodissimo hoc destitutam instrumento Iurisprudentiam tot illustrem voluminibus ornatam, aut si mauis, oneratam? Apprime scio ab omnibus expetitam, diuque desideratam huiuscemodi compaginem dictionum. Incepisse Illustrissimū D. D. Didacum Arce & Reynoso, ab ipsius ore præsens audiui: enixe desiderasse Excellentissimum D. Christophorum Crespi de Valdaura, ex eius epistola ad me transmissa constat: quam plurimum insudasse Perillustrem Antonium Augustinum Tarraconēsem Episcopum, patet ex procemio ad tractatum de nominibus proprijs, & ibi ipse fatetur. Forte aggredientes hanc Prouinciam, & existimantes nullum alium componendi methodum excogitari posse præter illum quingentorum numerum, retraxit, auertitque diffidentia.

Ego verò, nec quingentis, nec quinquaginta, nedum quinque leuis armaturæ amanuensibus ministratus infra septennium anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo Concordantias in quinquaginta Digestorum libros exhibui Matriti, vbi quā plures, tàm Senatores, quàm inferiores notæ Iurisperiti viderunt, euolutasque mirantes laudarunt. Septem supra decem postea annis elapsis à quodam magni nominis Senatore penè constrictus, nec minimis in iudicandi munere districtus occupationibus, in duodecim Codicis libros itidem continuatas alias similes Concordantias hoc præsenti anno Kalendis Aprilis fœeliciter perfeci.

Sed hoc quid iuuat? Si tantummodo nos iuuat. Cum & cæteris prodesse, & iubet animus, & viget amor. Parum videretur creasse, nisi & lux, quæ creata, notesceret, crearetur. Proponimus ergò Typographis hoc opus excudendum iam perfecte absolutum, tā in Digestorum quinquaginta, quam in Codicis duodecim libros. Atque vt perfectius cognoscatur dispositio, in quas partes distribuitur opus. Prima, quæ ad libros Digestorum pertinet, habet versiculos, seu lineas 532800. inest in margine à læua, rubrica, seu titulus, sub quo iacet versiculus; à dextra verò parte numerus legis, & paragraphi annotatur; secundum Florentinam, vt vocamus, lecturam. Quod ex subiicienda in fine notitia latius apparebit. Secunda pars, quæ ad libros Codicis pertinet, habet versiculos, seu lineas simili modo dispositas 222ꝟ471. In hoc ergò opere tot versiculos quoad perfectiore potuimus sensu instructos inuenies, quot in Iure ciuili reperiuntur dictiones, tam verborum, quam nominum, & adverbiorum eodem ordine Alphabetico dispositas, quo Hugo, & Secouiensis Doctor prædictas in Sacram Paginam suas Concordantias edidisse comperimus. Eo insuper addito, quod versiculi à prædictis viris compositi nimis coangustati, ac decurtati vix sensum perfectum resonant, ac per consequens non discernitur inter plures eiusdem dictionis quæsita sententia. At nostros versiculos, vbi patitur materia, perfectissimum, vel saltim perfectum reddere comprehendes. Si vtriusque operis cōtextum conferas, aderit præ manibus differentia, vt ecce, ex Sacræ Paginæ versiculis,

Sanct. Augustin.

Respond. filij Iac. in *dolo*. — *Genes. 34. 13.*
Vt loqueretur in *dolo*. — *2. Reg. 3. 27.*
Pro illo loquamini *dolos*. — *Iob. 13. 7.*
Vterus eius præparat *dolos*. — *15. 35.*
Et festinauit in *dolo*. — *31. 5.*
Et amaritudine, & *dolo*. — *Psalm. 10. 7.*
Non egit *dolum* in lingua. — *14. 3.*
Nec iurauit in *dolo* proxi. — *23. 4.*
Et sic prosequitur, &c.

NOSTRI VERSICVLI SIC DISPOSITI.

Qui *dolo* fecisse incendium conuincentur. 4. — *Offi. præf. vig.*
Doli mal. autem ideò in verb. edicti fit mentio. 7. § 4. — *Iurisdiction.*
Alius sine *dol.* mal. fecit, alius dol. mal. manda. 7. § 5.
Si vterque *dol.* mal. fecer. ambo tenebuntur. 7. § 5.
Si *dol.* mal. curauer. vt ab alio album corrump. 9.
Si in albo propos. *dol.* mal. corrump; datur in eum. 7.
Hoc edicto *dolus* debet ius dicentis puniri. 2. — *Qd quisq. iur.*
Quod Prætor præcipit, vi eximat; vi, an *dolo*? 3. § 2. — *neq. eū q. in ius*
Prætor ait; ne ve fac. *dol.* mal. quo magis exime. 4. § 2.
Potest sine *dol.* mal. id fieri; veluti cùm iusta 4. § 3.
Eximi; sufficit vi; quamuis *dol.* mal. cesset. 3. § 2.
Diuersum; si sine culpa, aut *dol.* her. missus in possess. 8. § 4. — *Q. satisd. cog.*
Si *dol.* fec. quominus in eius esset potestate. 2. § 1. — *Si ex noxali.*
Et sic prosequitur, &c.

Ex hoc laborem æstimabis, & industriam (nam præter quod pleniores, atque vberiores Sacræ Concordantiæ editæ à Petro Besse, Georgio Bulloco, & Patre Zamora vltra 56ꝟ. versus non extendantur, & nostra ciuilis contineat vltra 755ꝟ.) pluribus locis vnum, eundemque versiculum transcribi nobis necesse fuit (v.g.) si tres, quatuor ve dictiones in se continet, totidem indiget locis:

si ve-

si verò sex, aut septem dictiones habet, multiplicatis sedibus reponendus; excrescit ergò, vel minuitur labor, prout plures, pauciores vè dictiones complectatur versiculus.

Supputari potest facillime ex prædicto numero versiculorum, tam Digestorum, quam Codicis, idest, 7559271. quot, quantisque foliis totum opus manu-scriptum sub prælo cohiberi poterit secundum maiorem, minorem vè caracterum formam. Nam cum vnaquæque linea, seu versiculus separatus, nec ab antecedenti pendeat, nec coniungatur sequenti; indè fit, vt nec plures in exemplari prælo recusso possint existere versiculi, quàm in Authographo manu-scripto consistunt. Notandum quòd folium vnum non potest amplius, quàm columnas quatuor complecti, scilicet duas facie anteriore, totidem in posteriore parte. Plures non recipit series, & mensura tam versiculorum, quam papyri. In ea autem re peritiores Typographi arbitrari possunt an in folio, an in quarto (vt vocant) si commodius ipsis sit, in lucem dare.

Solent etiam prædicti artifices mutuam pecuniæ quantitatem expetere, quæ postmodum eiusdem operis exemplaribus, vel diuersæ eruditionis voluminibus, certo singulis precio assignato, restituitur: ea adiecta conditione, vt in Prouinciam Authoris ipsi Typographi non possint neque inuehere, neque distrahere volumina, anno integro illi concesso, vt ipse solus venundare queat. Huiusmodi pactum, nec patrimonij mei vires in præsenti patiuntur: nec libet mercari, quod gratis habeo. Sciendum etiam est, quod triginta huius operis exemplaria gratis donanda Supremo Castellæ Senatui, vt cætera possint in hoc Regno libere distrahi. Deliberent itaque inter se Typographi, consultatione cum Iurisperitis præmissa, vtrùm ne ipsis expediat sine prædicto mutuo, aut vllo precio hoc opus in lucem suis expensis dare. Extat apud me integrum, satis legibilibus caracteribus exaratum, per Alphabeti litteras dispertitum voluminibus concinne compactis in hac Ciuitate Granatensi, quod annuenti excudendum transmittetur. Kalendis Iunijs anno 1674.

D. Ildephonsus Nuñez Godoy.